

**Cardinal Commendones Kloster- und Kirchen-
Visitation von 1569 in den Diöcesen Passau u. Salzburg,
Nebst den Original-Protokollen.**

Von Dr. Michael Mayr.

(Schluss zu Heft III. 1893 S. 385—398.)

**Norm für die Visitation von Collegiat-Kirchen bezüglich des
Gottesdienstes.**

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 151.

Norma visitationis ecclesiarum collegiatarum regularium vel irregularium circa divinum cultum.

An fideles siut omnes, qui ad ecclesiam illam spectant, clerici maxime, ministri et primiores, ut facies ecclesiae vel collegii sit secundum ecclesiam catholicam.

Si in suggesto doctrina propinatur sana et orthodoxa et quam frequenter.

Quomodo administrentur sacramenta in eo templo et qua autoritate vel privilegio.

Circa sacramentum poenitentiae, qui et quot sint, qui confessiones audiunt et a quibus approbati fuere, ut idonei haberentur. Si saepe sacrificatur in templo illo, quot sint sacerdotes et alii sacrorum ministri secundum ordines sacros. Quot sint anniversaria vel sacrificia, ad quae collegium teneatur dietim vel mensuatim vel annuatim.

An expleantur, ut fundatorum satisfiat intentioni.

An sacra synaxis laicis administretur in templo illo. Item an simpliciter vel sub utraque specie et inibi serveturne super hoc bulla Pii IV. summi pontificis.

Praeterea an eadem sacra synaxis deferatur infirmis vel apud illos fiat sacrum contra decretum concilii Tridentini.

An etiam extrema unctio detur vel nuptiarum benedictio, si non est cum cura, quo iure haec fiant.

De laudibus divinis, horis canonicis et consuetudinariis precibus, quomodo in templo persolvantur, quinam ex collegio assidue conveniant, maxime ex primoribus.

Interrogare, an populus confluat ad templum illud et perseveret, quod si non, investigare de causa.

Lustrari locum S^{mi} sacramenti; videre, quo teneatur, quam frequenter mutetur et renovetur. Si lumen continuum adsit et in reliquis debita exhibeatur reverentia.

Et de chrismate, oleo infirmorum, pariter baptisterio, calicibus, corporalibus, purificatoriis,¹⁾ paramentis, ornamento altarium, la-

¹⁾ Or. purificatoribus.

pidibus sacratis, palis et aliis, quae ostendunt interiorem cultum divinum ex exterioribus.

Quomodo demum pacifice inter se degant et se invicem foveant et sese exemplares exhibeant populo, et praesertim interrogat de obedientia regulares.

An in comune vivant, quibus utantur exercitiis, quibus studiis intendant, qualibus et cum quibus conserventur et reliqua, quae de honestate clericorum sunt.

In beneficiis quomodo se habeant, quae, et quot beneficia possideant, an incompatibilia et si eis debita servitute vel ministerio provideant.

Vorschriften für die Pfarrer bezüglich der Ausspendung der Sakramente.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 152.

Ad parrochos circa sacramentorum administrationem.

Ut cantetur in missis maioribus totum „credo in unum deum“ integrum nec desistant ad verbum „et homo factus est“ ut solent.

Sacramentum S^{mum}, in vase argenteo conservent et nullo modo cupreo et singulis hebdomadibus particulas mutant, ut recentes imponant.

Olea sancta in vasis argenteis aut saltem staneis semper conservent et nullo modo cupreis et loco concedenti.

Baptismum conferant in ecclesia, et non alibi nisi in casu necessitatis, quum probabiliter dubitatur de morte baptizandi. Audientes confessiones interrogent diligenter confitentes et particulariter peccata et circumstantias nec ullo pacto generales confessiones admittant, sed potius nolentes particulariter omnes circumstantias confiteri reiiciant et non absolvant et in absolutione formam observent: „Absolvo te auctoritate domini nostri Jesu Christi ab omnibus peccatis tuis et vinculo excommunicationis minoris“ etc. et sciant episcopales casus et papales.

Inter sacra concedenter sacerdotes et cantores consistant et, cum sacramentum est in altari, et ipsi prope altare vel genuflexim cantent vel stent cum reverentia, quae appareat circumstantibus coram sacramento.

Cum vadunt ad altare vel ipsum pertranseunt, reverentiam semper exhibeant altari existente vel non existente sacramento in ipso, sed magis in existente.

Concedenter sint in choro omnes, nec aliqui, etiam si pueri sint, sine calceamentis et cum superpelitiis laceratis ut sunt ad praesens.

Sacramentum cum ad infirmos defferatur, reverenter et cum lumine defferatur et cum cimbella, si est possibile et committetur, si potest fieri a multis.

Oleum infirmorum detur petentibus et hortentur infirmi, cum sacramentum accipiunt ad ipsum petendum docendo per ipsum conferri gratiam, remitti peccata et etiam, si animae expedit, sanitatem restitui.

Ut habeant curam animarum exercentes catechismum vel nuper a summo pontifice emanatum vel illum P. Canisii.

Ut etiam habeant aliquam summam vel Antoninam vel aliam, qua docentur curam animarum habentes ipsam exercendi.

1. Visitation der Klosterkirche zu St. Florian 1569 Februar 17.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 146 A.

Visitatio ecclesiae S. Floriani ord. can. reg.

Eucharistia cum duabus lampadibus extra chorum in dextra parte prope columnam, in loco ad hoc expresse constructo satis honesto cum crateis ferreis duobus. In pixide argentea particulae multae sine sindone.

Olea in vasibus cupreis.

Fons baptismalis lapideus coopertus tabula non pyramidalis, intus aqua concreta.

Ecclesia pulcherrima cum altaribus 14, in maiori tobaleae duae et in aliquibus aliis duae et in aliis una tantum. Organa duo.

Canunt credo usque ad „et homo factus est.“

Communicant¹⁾ etiam sub utraque multos, a quibus dicunt, quod petunt conditiones ordinatas; communicantes sunt duo milia.²⁾

Praepositus cum novem canonicis, videlicet sacerdotes 6, diaconi 2 et 2 subdiaconi.

Praepositus habet curam animarum, quam exercet et facit eam exercere a sacerdotibus ad libitum praepositi.

Sciunt³⁾ formam sacramenti poenitentiae

Neque praepositus, neque canonici sciunt loqui latine.

Sacraria⁴⁾ duo, unum inferius cum indumentis ordinariis, alterum superius cum indumentis multis pretiosissimis et ditissimis, calices multi, corporalia multa, non utuntur purificatoriis. Baculus argenteus, infulae tres pretiosae, turribulum argenteum et omnia alia ad divinum cultum necessaria pretiosa.

Fuit ordinatum, quod imponant sindone, ut et habeant olea in vasibus argenteis vel saltem staneis, ut canant totum credo et habeant purificatoria sive lentiola ad abstergendum calices.

1) Communicant — duo milia ist nachgetragen.

2) Urspr. mille.

3) Sciunt — poenitentiae ist nachgetragen.

4) Der ganze Absatz wurde nachträglich hinzugefügt.

2. Visitation des Klosters St. Florian. 1569 Februar 17.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 146 B.

Praepositura et ecclesia cum monasterio erecta et constructa a quodam comite Epo.

Monasterium pulcherrimum et magnum et magnos habet proventus.

Tenent magistrum, qui doceat pueros litteras et cantum¹⁾ et adolescentes pauperes, quos ipsi edoceant in monasterio et sunt ad 35 in circa, qui etiam deserviunt in ecclesia et canunt ad missam quotidie et ad vespervas²⁾, et etiam multi alii pueri ex pago veniunt ad illum magistrum et docentur ad numerum octoginta, habent etiam organistam.

Habebant etiam magistrum canonicorum, sed defunctus est.

Sunt domini pagi illius etiam temporales, qui satis magnus est.

Habent octo ecclesias curatas, quarum administrant sex per canonicos, duas per saeculares presbiteros, quos episcopo Passaviensi praesentant et sunt illae duae divites parochiae, et licet sint per diploma Bonifacii papae noni unitae monasterio, nihilominus ad preces pene coactas imperatoris et aliorum coguntur praesentare presbiterum, licet deberent sicut aliae per canonicos gubernari.

Habent quosdam calices magnos ad ministrandum laicis sanguinem, quem argentea siringa inde sumunt.

Vicinam monasterio habent capellam quandam S. Spiritus, in qua celebratur aliquando in anno; cui est adiunctum hospitale, in quo triginta pauperes nutriuntur et eorum curam habet dominus praepositus, qui iam per 13 annos est praepositus. Est deorsum in pago quaedam alia capella sive ecclesia S. Johannis, in qua ter in anno celebrari solet.

Missas cantant multas et una die cuiuslibet ebdomadae officium faciunt de S. Florianiano, et quolibet die iovis missam S^{mi} sacramenti cantant ultra aleam diei. In missa quando plures dicunt orationes, sub uno „per dominum nostrum“ terminant, et cum canunt credo, desinunt ad „homo factus est.“

Bibliothecam habent cum multis libris antiquis, quorum nullum habent indicem et sunt catenis vineti.

Admonitus est praepositus et curam exercentes, ut totum integrum credo cantent, ut quando in missa dicunt orationes plures una sub duabus conclusionibus terminentur, ut vasa argentea aut saltem stanea teneant pro oleis et mutent ipsa singulis annis et cuncta comburant.

1) litteras et cantum nachgetragen.

2) et ad vespervas nachgetragen.

Ut utantur purificatoriis linteolis ad calicem abstergendum post purificationem in missa.

Saepe mutent particulas sacramenti reservatas.

Non communicent sub utraque nisi petentes et eos semper instruant iuxta formam bullae Pii IV.

Utantur semper oleo infirmorum, at infirmis nolentibus nec etiam alia sacramenta ministrent.¹⁾

Ut canonici studeant et libris catholicis incumbant, sumulas habeant, ut sciant bene confitentes interrogare, catechismum Romanum teneant, discant casus reservatos tam episcopo quam summo pontifici, ut discernant inter lepram et lepram, et maxime catholicis libris incumbant, ut errores dirigere possint et non errantes confirmant.

Ut magister puerorum legat illis lectionem, donec invenient alium, assuescant loqui latine, ut catholicos libros facilius intelligant.

Nulla modo obsequantur hiis, qui ipsos aliqua praeter ritum catholicum facere aut tolerare suadent.

Se moribus et vita in omnibus S. catholicae et Romanae ecclesiae ministros ostendant.

In omnibus parochiis ipsis subiectis, quae per canonicos reguntur, omnia haec fieri studeant et tales praeficere canonicos, qui verbo et exemplo ovibus sint proficui.

In his autem, qui per ipsos praesentantur saecularibus presbiteris, nihil faciant in gratiam alicuius, sed homines idoneos praesentent et, cum beneficia sint unita, provideant non amittere iurisdictionem suam, sed per canonicos ipsa gubernari sicut alia.

In absolute, in matrimoniis et in reliquis omnibus decretum S. concilii Tridentini observent et, ut ipsis possibile est, observari faciant.

3. Visitation der Pfarrkirche Kirchberg bei Kremsmünster. 1569 Februar 20.

Aus Arm. LXIV. Tom XI. Nr. 147.

Die dominica 20. mensis februarii 1569.

Visitatio ecclesiae S. Stefani de Chirsberg dioc. Pataviensis,²⁾ quae est parochia pagi de Cremsmünster, quae administratur per priorem monasterii S. Agabiti ipsius oppidi Cremsmünster ord. S. Benedicti et pertinet ad ipsum monasterium. Et est ecclesia posita supra collem non longe ab ipso monasterio; et prior administrator vocatur Georgius et est ex Austria ex pago parum inde distante annorum 27, et sunt 12 anni, quod suscepit habitum in dicto monasterio, et decem, quod est professus, et sex, quod

¹⁾ Ursprünglich ad infirmos. — Darnach ist eine ganze Zeile gestrichen.

²⁾ dioc. Pataviensis nachgetragen.

est sacerdos, quibus sex annis curam dictae ecclesiae S. Stefani semper egit.

Ecclesia satis bona et fornicata habet sex altaria cum maiori, et in maiori sunt duae tobaleae, cum quibus tantum celebrant, in aliis una et, si in eis celebrant, aliam superimponunt, dicunt esse omnia consecrata.

Eucharistia est reposita in quodam armariolo ferreis cancellis ad dextram partem maioris altaris, ubi est lampas, quam dicunt ardere die noctuque; nihilominus nostro accessu erat extincta, dicebant propter ventum.

Tabernaculum cupreum extra deauratum intus inargentatum, in quo pixis parva argentea et ibi involuta corporali quattuor particulae veteres, ut videbatur, ruptae et corrosae, licet ipsi dicant singulis 14 diebus eas mutare.

Infirmis in eadem pixide deferunt cum lumine et tintinabulo, sed sine umbella.

Quando ministrant in ecclesia, cum tobaleis suppositis ministrant.

Paucos communicant sub utraque, fere centum in anno,¹⁾ et hos in missa tantum in die lunae pasquae, quem diem praefixerunt iis, qui sub utraque volunt communicare, et ipsis legunt bullam Pii IV. Et quod superest sanguinis, sumit sacerdos, qui celebravit. Sub una autem sunt duo milia.

Olea habent in eodem armariolo in tribus vasculis cupreis simul iunctis, quae petunt quotannis a quodam decano ecclesiae vicinae, qui affert Patavio, et vetera comburunt.

Fons baptismalis lapideus coopertus tabula non pyramidalis cum aqua intus congelata, quae aqua renovatur in sabatis sanctis et pentecostes.

Baptizant secundum agendam, quam habent in ecclesia, et utuntur oleis, sed quae dicatur forma baptismi, curatus nescit, sed legit in libro.

Baptizant in ecclesia, aliquando domi aliquos et aliquando in ecclesia monasterii, sed semper accepta aqua ab ipso fonte. Librum baptizatorum non habent, nec confirmatorum, etiam sunt decem anni et ultra, quod nullus episcopus confirmavit.

Extremam unctionem dant petentibus et multi petunt et etiam si non petunt, ab ipso curato monaco recordatur, ut petant.

Nihil petit pro sacramentis et accipit quod datur.

Numerus animarum communicantium pagi sunt duo milia et communicantur etiam multi in tempore nativitatis et pentecostes et mulieres pregantes²⁾ saepius.

¹⁾ fere centum in anno nachgetragen.

²⁾ Wohl das italienische pregare.

Confessiones audit ipse prior et etiam alii monaci audiunt. Audiunt semper in ecclesia confessiones et particulatim de peccatis interrogant et etiam circumstantiis, quae fuerunt.

Utuntur quadam agenda archiepiscopi Saltzburgensis, in qua dicunt et esse casus reservados, de quibus non absolvunt, sed remittunt ipsos episcopo Passaviensi, in cuius sunt diocesi.

Formam absolutionis nesciunt, sed utuntur „misereatur“ et „indulgentiam“ in absolvendo. Bene dicunt se observare, quae in illa agenda habent, quam dicunt legere, cum absolvunt.

Sacrarium sine lavacro, sed cum quodam vaso, in quo tenent aquam ad lavandum sine altari. Habent calicem argenteum deauratum cum patena et corporali ac animulo, sed purificatorii non utuntur. Indumenta multa concedentia et bona.

Dicunt etiam in alio sacrario, cuius rustici tenent claves, habere quasdam reliquias et tres calices argenteos.

Habent ibi in vaso ligneo in armario quasdam politias parvas, quibus alligatae sunt in panno serico quaedam reliquiae, ut in illis politis dicitur, et sunt S. Sebastiani in una, in alia SS. Nerei et Archilei, in tertia SS. Johannis et Pauli, in quarta S. Leonardi, in quinta S. Volfanghi episcopi, in sexta S. Blasii, in septima S. Ceciliae, in octava de capellis Beatae Virginis cum agnus dei Gregorii papae XII. satis magno.

Monachus curatus dicit se celebrare missam singulis diebus festivis cantando non solus, sed scolares de pago cantant.

Post evangelium concionatur in ecclesia lingua Germanica, et frequens est populus ad audiendum et sequitur in suis concionibus Ecchium, Ferrum et quosdam alios catholicos doctores, quos dixit habere.

Habent inde parum distantem quandam ecclesiam parvam S. Simonis, in qua in die festivitatis missam canit et concionatur.

Ipse curatus dicit confiteri peccata sua in festivitibus magnis.

Libros in sacrario satis concedentes.

Altaria omnia in ecclesia satis ornata, quantum ad picturas et alia similia.

Sacristiae claves tenet quidam laicus et in ipsa sunt claves eucharistiae et oleorum.

Funera a domo ducit ad ecclesiam cum cruce comitantibus aliis de pago et scolaribus, qui canunt et facit officium iuxta morem et omnes tumulantur in cimiterio.

Matrimonia publicat tribus festivis, antequam contrahantur, postea contrahunt ipso praesente et benedicuntur in ecclesia, solent etiam vinum benedictum ex calice bibere.

Magister est in monasterio, qui docet pueros literas et cantum, habet etiam alium coadiutorem, hic ultra alimenta a

monasterio florenos 40 et habet pueros ad 80 ex pago, quorum 20 aluntur in monasterio et deserviunt ecclesiae aliquando.

Legit ipsis grammaticam magnam Melanctonis, Tullium de officiis et bucolicam. Idem etiam legit monacis grammaticam et catechismum Canisii.

De concilio Tridentino nihil sciunt et ea, quae servant in matrimoniis, propter usum veterem et non propter concilium servant.

Nesciunt aliquos esse hereticos in hoc pago, sed omnes esse catholicos et, si adveniunt heretici, statim expellunt.

4. Visitation des Klosters Kremsmünster. 1569 Februar 20.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 148.

Visitatio monasterii S. Agabiti martiris de Cremzmuester ord. S. Benedicti Passaviensis dioc., quod fundatum fuit tempore Charoli Magni a Taxilone duce Bavariae, cuius filius Gunterus, ex ¹⁾ filia Desiderii Logumbaiorum regis natus ibi occisus fuit ab apro et sepultus est in medio ipsius ecclesiae in sepulchro lapideo a terra elevato, pro ²⁾ cuius anima pater aedificavit monasterium et deinde Arnulphus imperator auxit. Ecclesia fornicata satis magna et pulchra habet 20 altaria, omnia ut dicunt consecrata, cooperta singulis tobaleis, imaginibus et aliis optime ornata, altare maius tribus opertum tobaleis.

Eucharistia servatur extra chorum in ecclesia in armario cancellis ferreis circumquaquam firmato super columnam, ad cuius dexteram ardet lampas. Claves tenet prior. Est sacramentum positum in tabernaculo aeneo, ut visum est, deaurato et in ipso pixis parva argentea, in qua corporale, involutae sunt particulae multae et etiam, ut visum est, satis vetus, licet dicant singulis quattuordecim diebus eas mutare. In eodem armariolo sunt duo vascula cuprea simul iuncta, in quibus oleum cathecuminum et crisma; aliud vas simile cupreum, in quo est oleum infirmorum. Dicunt in singulis annis renovare et vetera comburere, prout in parochia dictum est.

Sacrarium bonum habent, sed sine lavacro et sine altare, sed circumdatum multis armariis ligneis, in quibus habent paramenta et calices. Paramenta, quae sunt in illo sacrario, ad usum sunt quotidianum, satis bona et calices tres argentei deaurati cum suis corporalibus, sed purificatoria non habent.

In superiori sacrario sunt plura indumenta pretiosiora, sed vetera praeter unum aureum. Sunt ibi plures reliquiae in qui-

¹⁾ Von ex — natus später nachgetragen.

²⁾ Pro — auxit späterer Nachtrag.

busdam capsulis breviculis alligatae denotatibus, cuius sint reliquiae.

Sunt calices septem argentei deaurati et plura corporalia cum animulis. In inferiori sacrario sunt cruces duae argenteae, una magna et altera parva et monstrantia quaedam argentea similiter deaurata, et dicunt habere inventarium omnium bonorum sacrariae.

Sunt monaci decem sine abbate, qui facit undecimum. Quatuor sunt ex ipsis sacerdotes, unus diaconus, reliqui quinque clerici iuniores.

Habent circumcirca quattuordecim parochias et in qualibet tenent unum monachum, qui exercet curam animarum, quem prius presentant episcopo Passaviensi ad aprobandum.

Magister, qui docet pueros, quos alunt in monasterio, ut supra dictum est, etiam legit monacis gramaticam Melanctonis et catechismum Canisii.

Abbas vocatur Jodoehus annorum 50 in circa, erat abbas in monasterio Manseae eiusdem ordinis et fuit hic expostulatus, utitur baculo et mitra in sacris. Habet iurisdictionem temporalem totius pagi et etiam aliorum pagorum, quos in spiritualibus per monachos administrat.

Monasterium habet proventus satis magnos, solvit de steura imperatori quotannis florenos 1800, de quibus monasterium solvit 500, subditi vero 1300, et monasterium etiam solvit pro ultima hac impositione duodecies et quinquaginta milia florenorum, quos Austria superior debet solvere in annis decem, ad quam exsolvendam sunt taxata singula capita eorum, qui superant annum decimum, ut solvant singulis septimanis numum. Quindecim vero numi faciunt unum pac et quindecim pac faciunt unum florenum. Monasterium autem pro contributione debet solvere pro omnibus suis capitibus florenos ducentos quolibet anno et pro impositione sexenali monasteriorum totius Austriae solvit pro sua portione florenos quinque milia singulis annis.

Sunt autem in Austria superiore monasteria quindecim diversorum ordinum, quae solvunt omnia simul florenos viginti milia et quinquaginta.

In Austria vero inferiori omnia monasteria solvunt triginta milia.

Officia monaci celebrant in choro superiori ante altare maius secundum formam ordinis ipsorum.

In missa dixit abbas duas orationes sub una conclusione. Monasterium satis magnum et amplum et habet magnam curiam circumcirca muratam cum fossis et habet multos laicos in monasterio et cum custodibus, qui manent ante ianuam, quae de nocte clauditur cum ponte, qui elevatur.

Numerum commune¹⁾

Illius ordinavit, quod semper ardeat lampas coram eucharistia, renovent particulas saepius, olea omnia servent in vasibus staneis, celebrent super tribus tobaleis. Teneant librum baptizatorum et matrimoniorum. Habeant summas, ut percipiant, quae sint peccata et qualitas eorum, utantur purificatoriis, ediscant memorialiter formam absolutionis; claves eucharistiae et reliquiarum sint apud sacerdotem. Curatus et reliqui sacerdotes saepius confiteantur. Quod utantur alia grammatica quam Melanctonis. Quod concludant semper primam collectam et postea alias sub alia conclusione. Quod abbas orationes et offertorium sine mitra dicat. Quod habeant lavacrum in sacrario.

5. Visitation des Klosters Wilhering. 1569 Februar 23 und 24.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 149.

Die mercurii 23. mensis februarii 1569.

Visitatio monasterii S. Mariae de Willhering ord. Cist. Pataviensis dioc. fundatum iam de anno 1254 a comite Sciomberg²⁾, cuius linea nunc desinit in quadam muliere sene, quae sola remanet et dominium sive hereditas ipsorum comitum devolvetur ad dominos de Starembergh.

Et ecclesia mediocris, quae pluit undique, in nulla parte ornata, altaria habet 20, omnia ut dicunt, consecrata, super altare maius sunt tres tobaleae, in aliis una, sed dicunt se non celebrare nisi cum tribus tobaleis.

Smum sacramentum non tenent in ecclesia, quia dicunt non habere curam animarum et pro monacis, cum opus est, conficiunt.

Olea dicebant habere in vaseis cupreis, sed cum quaereretur, ut ostenderent, nusquam claves inventi fuerunt.

Interrogati, quomodo darent monacis infirmis oleum sanctum, dixerunt non esse in usu, et quid sit extrema unctio, prorsus ignorare videntur.

Dicunt horas et vesperas quotidie, ut asserunt, in ecclesia, sed mattutinas non dicunt nec etiam private in cella.

Missas dicunt tantum cantatas dicere et non lectas, aliquando unam et aliquando plures in die. In missa sacerdos non cantat praefationem nisi usque ad: „aequum et salutare“ et statim chorus cantat „sanctus“; dicunt se reliqua submisso legere nec amplius cantat sacerdos nec „pater noster“ nec „pax domini“ et nihil prorsus dicit alta voce nisi orationem post communionem. Chorus tamen cantat „agnus dei“ tantum.

¹⁾ Der Satz blieb unvollendet.

²⁾ Gebessert aus Staremberg. Lies Schaumberg.

Et abbas electus nondum confirmatus nomine Matheus Elvetius Suevus, annorum 27, literis parum instructus et est visitator totius ordinis istius provinciae, quod munus est semper iniunctum abbati huius monasterii. Habet iurisdictionem temporalem trecentorum rusticorum in circa in diversis locis et pagis ¹⁾, tenet iudicem, scribam et quosdam alios laicos in monasterio ad servitium curiae, qui ex ipso monasterio aluntur, et iudex habet etiam domum extra monasterium, in qua habet uxorem suam.

Cura autem pagi pertinet ad quendam sacerdotem per unum miliare ²⁾ distantem, qui praesentatur ab abbate de Enghilcel eiusdem ordinis et a comitissa Scomberg simul episcopo Passaviensi ³⁾. Habent ipsi octo parochias, sed tenues, in quarum quinque deserviunt per monachos praesentatos episcopo Palaviensi, in tribus autem presentant eidem episcopo presbiteros saeculares.

Sunt octo monaci in monasterio ultra abbatem ex diversis locis Germaniae, quorum quattuor sunt sacerdotes, unus subdiaconus, reliqui acoliti, quidam parum, quidam nihil literis instructi.

Sacristiam habent satis mediocrem et indumenta satis multa, sed vetera et parvi pretii. Calices quattuor argenteos deauratos et plura corporalia cum animulis papiraceis et lineis et nulla purificatoria.

Duas mitras et unum pastorale habent argenteum et quandam crucem ligneam argento coopertam longitudine unius palmae et dicunt illud lignum esse lignum crucis, sed omnia male et negliger reposita.

Altaria fere nullis ornamentis et etiam altare maius.

Chorum cum sedibus, in quo pluit multum.

Monasterium habent satis magnum, sed et ipsum indigens multa reparatione.

Libri quidam reperti sunt Lutheri, ut traductio bibliae. Solvunt ⁴⁾ pro contributione sexenali 1500 florenos, quibus ipsius sexenii anno, ut steura autem 800 florenos quolibet anno.

Habent magistrum in monasterio, qui docet quosdam pueros, sed non multos, et etiam dicunt, quod docet monachos, sed ipse parum est literis instructus.

Die 24. audita est missa a quodam monaco submurmurata nomine Renenti (!) ⁵⁾ et erat de S. Mathia apostolo, nec tamen dixit „gloria in excelsis“ nec „credo“.

In quodam armariolo in muro ad dexteram altaris maioris, qui portam habet ex cruce ferrea, sed rupta, inventa sunt tria

¹⁾ Getilgt ist: istius pagi de Welerin, in quo sunt 300 animarum in circa.

²⁾ Ursprünglich stand longe.

³⁾ Früher stand bloss: qui ponitur ab episcopo Passaviensi.

⁴⁾ Von hier bis zum Schlusse späterer Nachtrag von derselben Hand.

⁵⁾ Der Name ist unleserlich, vielleicht Ruperti.

vascula cuprea sive verna stanea¹⁾, quae extracta sunt per rupturas aetatis, tamen claves non haberent et erant sine operculo, olea in ipsis videbantur valde antiqua nec poterat sciri distinctionem eorum. Interrogatus abbas, quare sic essent, respondit nihil ad se, cum non habeat curam et, cum diceretur debere curare se et monachos, respondit illa olea nihil facere ad animam, et dicendo ipsi, quod sunt sacramenta, respondit licet sint sacramenta, nihil facere ad animam, et cum dictum esset, ubi legisset hoc, respondit se legisse certo, sed non recordari nunc locum et, quod intelligit scripturam secundum verba ipsius, non secundum aliorum interpretationes. Et illa omnia olea scilicet cum vasis simul de mandato Ill^{mi} legati coniecta fuerunt in fornacem ignis et combusta.

6. Visitation der Kathedrale von Passau. 1569 Februar 28.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 153.

Visitatio cathedralis ecclesiae Pataviensis.

Die lunae ultima februarii 1569 post completorium.

Visitatio cathedralis ecclesiae S. Stefani Patavii.

In sinistra parte altaris maioris in armario satis honesto crateis ferreis circumdato, ubi unica ardet lampas, est vas magnum cupreum, in quo erant duo vascula, alterum argenteum, in quo erant aliquot particulae satis recentes sine sindone, et alterum staneum, in quo erat oleum infirmorum, et utrumque vas, scilicet cupreum et argenteum, male claudebatur. Fuit ordinatum per Ill^{mum} cardinalem, ut vasa ita aptentur, ut recte possint claudi, ut sub particulis imponatur corporale et quod oleum infirmorum de caetero servetur²⁾ separatim a S^{mo} sacramento eucharistiae.

In medio ecclesiae fons baptismalis lapideus coopertus tabulis pyramidalibus pictis et inauratis.

Sacraria duo, in primo multa indumenta et alia ad cultum divinum necessaria. In secundo interius plurimae reliquiae in monstrantiis et in laminibus argenteis positae, inter quas est caput S. Xisti papae et S. Vigilii martiris et episcopi Tridentini.

Ecclesia ampla et pulcherrima³⁾, fornicata ab utroquo latere, sed non in medio nisi quantum cooperitur altare maius ex fornice; altaria viginti quattuor satis ornata cum unica tobalea in aliquibus, et in aliquibus cum duabus, sed in maiori altari erant tobaleae tres.

In ecclesia erant praebendae viginti quattuor, modo autem sunt viginti tres, quia una fuit applicata studio Ingolstadiensi. Inter quas sunt duae dignitates, videlicet praepositura et decanatus.

¹⁾ sive verna stanea ist die wahrscheinliche Conjectur aus schwer lesbaren Worten.

²⁾ Or. servetur.

³⁾ Or. purherrima.

Quaelibet praebenda habet ex reditu talaros tercentos. Prae-positura erat alias multum dives, sed quia spectat ad collationem papae, continuo per capitulum imminuitur.

Praeterea sunt vicarii sex, quibus applicatae fuerunt tres praebendae canonicales et choristae, qui choro inserviunt octo.

Diaconi quattuor, qui parvulam habent portionem, sed solet conferri eis aliquod beneficium et sunt ammovibiles.

Capellaniae in dicta ecclesia sunt quinquaginta, inter quas quattuor habent florenos¹⁾ quinquaginta pro singula circiter annuatim, reliquae autem sunt tenuissimae; propterea dantur tres et quattuor pro quolibet sacerdote.

Ecclesia habet curam animarum, quae exercetur per parochum²⁾ et habet communicantes circiter tercentum personas, quia non versatur nisi in familia episcopi et consiliariorum eius et aliquorum paucorum.

In civitate sunt tres aliae parochiales ecclesiae, videlicet ecclesia S. Egidii extra Aenum, S. Salvatoris extra Danubium et S. Pauli in corpore civitatis.

Communicantes omnes sive apti ad communicandum sunt octo milia³⁾, sed actu sunt quattuor milia tantum, reliqui sapiunt haeresim. Habent cives gubernium hospitalis S. Joannis, in quo volebant conducere concionatorem, sed episcopus prohibuit propter suspicionem haeresis. Volebant etiam cives conducere ludimagistrum, sed propter eandem suspicionem episcopus noluit permittere, nisi cum quibusdam conditionibus, quas ipsi cives recusarunt accipere.

Episcopus alit et cum ludimagistro facit instruere viginti quattuor pueros.

Extra et prope dictam ecclesiam cathedralem est alia parva et pulchra ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis, erecta a quodam episcopo Pataviensi, in qua sunt tres capelani, et in ea quotidie celebratur missa, quibus capellanis praesens episcopus dedit ecclesiam parochialem vicinam civitati, propter quam vicinitatem nemo ex eis in ipsa residet. Ill^{mus} iniunxit, ut unus ex eis continuo in ea resideat.

7. Visitation der Pfarrkirche St. Andreas und Nikolaus ausserhalb Passau. 1569 Februar 28.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. 154.

Die lunae ultima mensis februarii 1569.

Visitatio ecclesiae parochialis S. Andreae et Nicolai can.
reg. extra et prope muros civitatis Pataviensis.

¹⁾ Nachgetragen: circiter.

²⁾ qui est septem viginti ist nachgetragen.

³⁾ Orig. mille.

In sinistra parte altaris maioris in condecenti loco servatur S^{mum} sacramentum in vaso cupreo magno, in quo erat vasculum argenteum cum aliquibus particulis satis recentibus sine sindone. Quod sacramentum, dixit praepositus, servatur pro ipsis canonicis.

Extra chorum in quodam sacello a sinistra parte dicti sacelli in loco honesto servatur similiter sacramentum pro laicis in vaso cupreo magno cum vase intus argenteo, in quibus erant particulae sine sindone, in utroque loco ardent duae lampades.

In eodem loco erant olea in tribus vasculis staneis simul iunctis. In medio ecclesiae fons baptismalis¹⁾ lapideus coopertus tabula inaurata et pyramidali, in cuius summitate est imago S. Joannis Baptistae.

Sacrarium cum multis indumentis omnium colorum, quibus utitur ecclesia. Aliquae reliquiae cum monstrantiis²⁾ argenteis servantur in sacrario. Altare maius cum tribus tobaleis, cetera³⁾ autem cum una tantum. Ecclesia pulcherrima et fornicata cum organo⁴⁾ et monasterium satis amplum.

Comunicant sub una tantum et habent quattuor centum communicantes. Praepositus cum decem canonicis.

Quilibet sacerdos habet suum calicem separatum.

Fuit ordinatum per Ill^{mum}, ut sub particulis ponant sindonem.

8. Visitation des Klosters Reichersberg. 1569 März 4.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 156.

Die veneris quarta martii 1569.

Visitatio S. Michaelis de Reichersperg ord. can. reg. S. Augustini Pataviensis dioc. sub ducatu Bavariae inferioris.

Quae fuit fundata a Guarnerio comite de Plain, qui est sepultus in medio ecclesiae⁵⁾, post mortem filii sui, quem unicum habebat. Ideo voluit dictam ecclesiam esse heredem rerum suarum. Postea eam auxit Goltradus archiepiscopus Saltzburgensis, qui dicitur secundus fundator. Est praepositura et praepositus vocatur donus Bofeanus, qui erat absens, sed loco eius erat decanus.

Ecclesia est parva et habet quatuor altaria cum altari magno mediocriter ornato, licet in claustro quasdam habeant capellas et etiam altaria. Chorum habent etiam parvum sedilibus circumdatum. In altari magno tobaleae duae, in reliquis una tantum.

A dextris altaris maioris est armariolum cum crate ferrea clausum, in quo servatur S^{mum} sacramentum et claves habet de-

1) baptismalis nachgetragen.

2) Or. monstrantis.

3) Or. ceterae.

4) cum organo nachgetragen.

5) qui — ecclesiae nachgetragen.

canus cum lampade ab uno latere accensa. Est positum in vase satis magno, sed cupreo et in ipso pixis parva etiam cuprea intus habens corporale, super quo erant duae particulae satis recentes; dicunt singulis quattuor hebdomadibus eas innovare. Olea etiam in eodem armariolo in tribus vasculis cupreis simul iunctis, quae dicunt singulis annis a Patavia petere et vetera comburere.

Sacristia satis bona cum altari sine lavacro, indumenta pauca et satis mediocria, calices sex argentei deaurati cum corporalibus sine purificatoriis.

Monstrantia duo argentea, unum magnum, alterum parvum ad portandum *Smam* eucharistiam. Crucem habent argenteam parvam et tres figuras argenteas, videlicet S. Mariae, Catherinae et Caeciliae.¹⁾

Habent quasdam reliquias, videlicet caput argento tectum, quod dicunt esse S. Ursulae et quasdam alias reliquias in quodam monstranti argenteo cum cristallo.

Habent curam animarum illius pagi et ideo in medio ecclesiae est fons baptismalis lapideus habens intus quoddam²⁾ aliud vas lapideum, in quo erat pauca aqua concreta, fons coopertus tabula lignea non pyramidalis, nec clausa ab ulla parte clave vel sera. Missam vel cantant vel legunt ita sumisse, ut nihil penitus audiatur et licet ministrum habeant, nihil respondit.

Dicunt habere in illo pago trecentas animas comunione et communicant sub una fere omnes et paucos sub utraque.

Jurisdictionem habent in aliis locis, sed non ibi et tenent iudicem, oleum infirmorum pauci petunt, licet ab ipsis admoneantur, ut petant.

Habent quattuordecim parochias, octo in Austria et sex Bavariae, administrant quattuor ex his, quae sunt in Austria, et duas ex his, quae sunt in Bavaria per ipsos canonicos, reliquas vero per presbiteros saeculares.

Sunt septem canonici in monasterio ultra praepositum, quattuor sacerdotes et tres diaconi et subdiaconi.

Decanus, qui administrat curam in illo pago, dicit se servare agendam Pataviensem in conferendis sacramentis; nihilominus formam absolutionis ignorabat, sed tantum dicit „miseretur“ et „indulgentiam“ et latine etiam parum scit.

Habent magistrum, quem in monasterio alunt, qui docet 30 pueros, qui a monasterio aluntur, in literis quam in cantu.

Fuit ordinatum per Ill^lum cardinalem, ut vasa stanea tenerent pro oleis et etiam pro sacramento, ut diligenter viderent agendam illam Pataviensem et secundum illam sacramenta ad-

¹⁾ Or. Ciiliae.

²⁾ Orig. quodam.

ministrarent, nam forma absolutionis in ipsa est „absolvatur etc.“, ut hortarentur populum ad extremam unctionem docentes esse sacramentum, quod confert gratiam sicut alia sacramenta et a deo praeceptum.

Ut maius vas intra fontem baptismalem haberent et maiorem aquae quantitatem. Ut incumberent literis et etiam canonici docerentur, ut melius intellegerent et loquerentur latinam linguam.¹⁾ Hortatus est eos, purificatoriis uterentur in abstergendo calices post purificationem.

Ut vita et moribus ita se exhiberent, quod bonum exemplum de se laicis darent et non solum lingua, sed etiam moribus ipsi praedicarent. Et admonuit, ut semper eis, qui petunt communionem sub utraque, legeretur prius bulla Pii IV., ita ut bene ab illis intellegeretur.

9. Visitation des Klosters Ranshofen. 1569 März 4.

Aus Arm. LXIV. Tom XI. Nr. 155.

Die veneris de sero quarta mensis martii 1569.

Visitatio ecclesiae S. Pancratii de Rindoffen Pataviensis dioc. can. reg. S. Augustini sub ducatu Bavariae inferioris.

Quae fuit fundata a S. Henrico imperatore.

Est praepositura et praepositus vocatur Adam.

Ecclesia est satis magna, pulchra valde et habet altaria novem cum maiori satis bene ornato, eorum habet supra, in quo canonici canunt officia; infra est etiam alius chorus cum sedilibus prope altare maius,²⁾ sed ipsi canunt in supradicto.

In altari magno tobaleae duae, in reliquis una tantum.

A dextris altaris maioris est armariolum circumdatum crate ferrea super columnam parieti contiguum clausum, in quo servatur S^mum sacramentum et claves habet unus ex canonicis, qui est parochus, cum lampade ab uno latere accensa; est positum in vase satis magno. sed cupreo deaurato et in ipso pixis papiracea picta, in qua erant quattuor particulae corporali involutae satis recentes.

Olea autem in sacristia³⁾ in tribus vasculis cupreis simul iunctis positus in vase argenteo, quae dicunt singulis annis a Patavia petere.

Sacristia satis bona sine lavacro et altari, indumenta pauca et mediocria, calices octo argentei deaurati cum corporalibus et quadam animula papiracea sine purificatoriis.

Reliquias dicunt habere cum etiam quibusdam vasculis ar-

¹⁾ Nachher ist nahezu eine Zeile gestrichen.

²⁾ Or. maiore.

³⁾ Nachher gestrichen: in vasculo argenteo, in quo erant.

genteis in sacrario superiori, cuius claves tenent regentes civitatis Bureausensis,¹⁾ sub qua est monasterium.

Habent curam animarum istius pagi et ideo in medio ecclesiae est fons baptismalis lapideus pyramidatus²⁾, qui benedicatur³⁾ in diebus sabati sancti et pentecostes, sed in ipso non baptizant, sed deferunt aquam in ecclesia parochiali et ibi baptizant in quodam vase mobili.

Est autem ecclesia ista parochialis in cimiterio ipsius ecclesiae monasterii satis bona et habet quattuor altaria cum maiori cum duabus tobaleis in magno, in aliis una.

A parte dextera altaris est armariolum crate ferrea circumdatum sicut in ecclesia monasterii et similiter vasculum et pixis⁴⁾ eiusdem modi cum quattuor particulis similiter corporali involutis.

Habet sacristiam, in qua sunt indumenta et calices pro servitio illius ecclesiae, cuius claves tenet quidam laicus.

Habent vascula tria cuprea simul iuncta cum oleis, quae erant in domo unius sacristae laici, licet clausa in capsula, ut dicebant, quia dicunt tempore hiemis se baptizare in domo et non in ecclesia.

Exercet curam dominus Christophorus canonicus, quem vocant parochum. Dicunt habere in illo pago quingentas animas communionis et communicant sub una fere omnes, sub utraque quinquaginta in circa.

Jurisdictionem habent in multis locis, ubi habent bona sua et ideo tenent iudicem.

Habent quattuor parochias ultra istam, quas per canonicos administrant omnes et sunt omnes in Bavaria.

Sunt decem canonici in monasterio cum praeposito, octo sacerdotes et duo iuvenes, ultra illos, qui sunt in parochiis praedictis.

Utuntur agenda Pataviensi in conferendis sacramentis et benorunt formam absolutionis et praepositus et parochus et bene loquitur latine et sunt satis instructi.

Dicunt habere in omnibus parochiis suis ultra quattuor milia communicantes, quorum vix ducenti communicant sub utraque.

Concionantur saepe in ecclesia parochiali, quae dicitur ecclesia S. Michaelis, et in ea legunt missam⁵⁾ saepius vel causa eiusdem societatis vel propter fundatorem vel aliis consuetis et in festivis diebus canunt missam, quae cantatur a schola puerorum.

Habent magistros tres, quos alunt ex monasterio et docent

1) Burghausen.

2) cum tabula lignea nachgetragen.

3) Or. beneditur.

4) Or. pixidem.

5) Or. missa.

pueros pauperes gramaticam et cantum, qui sunt in totum circa octuaginta, quorum quinquaginta aluntur impensis monasterii.

Divina officia in ecclesia bene et devoti cantant.

Oleum infirmorum dant petentibus, licet pauci petant.

Matrimonia publicant tribus vicibus secundum antiquam consuetudinem regionis, non tenent librum nec baptizatorum nec confirmatorum nec matrimoniorum.

Nesciunt, si multi sunt confirmati, quia iam ante decennium episcopus Pataviensis confirmavit multos et postea non fuit amplius in illo loco.

Fuit ordinatum per Illmum, ut vasa stanea tenerent pro oleis et etiam pro sacramento et nullo modo cuprea. Ut diligenter in administratione sacramentorum se haberent et hortarentur infirmos ad extremam unctionem suscipiendam.¹⁾ Ut raro vel nunquam baptizarent domi, sed ²⁾ in ecclesia. Ut in ecclesia parochiali, si baptizant, habeant fontem lapideum immobilem, nec baptizent in vase mobili vel ducant baptizandos ad fontem in ecclesia. Quod olea nec claves sacramenti relinquunt apud laicum ullo modo. Cum tribus tobaleis ad minus celebrent et non aliter. Teneant librum matrimoniorum et baptizatorum iuxta formam Tridentini concilii. Utantur purificatoriis semper in missa in abstergendo calice post purificationem. Petentes communionem sub utraque doceant particulariter de bulla Pii IV., antequam communicent. Ut lingua et moribus ita se gerant, ut aedificent laicos ad bene et catholice vivendum.

10. Visitation der Pfarrkirche von Strasswalchen. 1569 März 6.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 157.

Visitatio ecclesiae parochialis S. Martini de Strasuoem. Die dominica sexta mensis martii.

Illmus dominus visitavit ecclesiam parochialem S. Martini de Strasuoem dioc. Pataviensis sub dominio temporali archiepiscopi Saltzburgensis. Habet unum parocum et duos alios sacerdotes. Dictae sunt in ecclesia missae duae, una de die currenti submissa voce, quae a nullo audita est ex circumstantibus et nullo ministro respondente (ut moris est hic), alia cantata, sed de mortuis, quia dicunt ita solitum in dominica post quattuor tempora³⁾, et post evangelium ipsius facta est concio satis longa sermone theutonico. Post prandium dictae sunt vesperae iuxta morem Pataviensis diocesis.

¹⁾ Hieher gehört: docentes esse sacramentum, quod confert gratiam sicut alia et a deo ordinatum.

²⁾ Or. et.

³⁾ Von quia — tempora später nachgetragen.

In parte dextera altaris maioris est armariolum in muro, circumdatum crate ferrea et intus Smum sacramentum, erant quatuor particulae satis recentes et corporale involutum panno serico sine alio vase. Dicebant ante triennium involutum fuisse vas, in quo teneri solebant, et postea alium non posuisse. Claves tenet parocus.

Olea dicebat parochus se habere domi in tribus vasis cupreis simul iunctis, que tenet domi, quia propter hiemem non baptizat in ecclesia.

In ecclesia sunt quatuor altaria cum maiori cooperta duobus tantum tobaleis pro unoquoque. Parva est ecclesia, sed satis bona et mediocriter ornata. Animas communionis dicunt habere ad 1800, omnes communicant sub una, nec unum verbum aut suspitio de haeresi.

Oleum infirmorum pauci petunt causa expensarum (ut iudicant). Parochus ipse bene novit formam absolutionis et baptismi, dicit omnes confiteri peccata particulariter, et (ut videtur) est satis instructus de sacramentis.

De chrismate dicit iam ante viginti annos non fuisse episcopum in hoc loco, qui chrisma ministraret, nec scire suos parochianos ire Passavium sive alio ad chrisma.

Parochus vocatur Benedictus, est quadraginta duorum annorum, iam per quindecim annos exercet curam in illa parochia.

Praesentatio ipsius parochi pertinet ad abbatem Masee ord. S. Benedicti¹⁾, institutio vero ad episcopum Passaviensem.

Alit parochus duos alios presbiteros, qui adiuvant ipsum, qui habent loco stipendii quaedam ab hominibus pagi in frumento, vino, et aliis, quae ab ipsis colligunt tempore messis.

Alit etiam magistrum ludi, qui docet pueros cantum et litteras et sunt ad viginti, qui etiam deserviunt in ecclesia et aluntur a parentibus suis. Magister vero colligit et ipse prout faciunt capellani tempore messis ab hominibus pagi.

Sacristiam habent satis parvam cum lavacro et sine altari, indumenta sacerdotalia ad octo, sed mediocria satis, calices tres argenteos deauratos cum patenis satis bonis²⁾ et cum corporalibus etiam, sed purificatoriis non utuntur. Fons baptismalis est in ecclesia lapideus, tabula coopertus plana et clausus, quem dicunt benedicere in paschate, pentecostes, et ex ipso aquam petere, cum extra ecclesiam baptizant.

Dicunt, cum defertur sacramentum infirmis, solent dare sacerdoti tres cruciatus, cum autem defertur oleum, dimidium

¹⁾ Mondsee.

²⁾ Or. bonas.

cruciati, sed ipsi nihil petunt, accipiunt tamen, quod dant, et hoc antiquitus fieri solet.

Matrimonia publicant tribus festis iuxta antiquam ipsorum consuetudinem, sed librum matrimoniorum neque baptizatorum neque confirmatorum habent.

Ill^{mus} dominus post vitae et morum admonitionem ipsum parochum admonuit, ut, quanto rarius fieri posset, extra ecclesiam baptizaret, pro S^{mo} sacramento vas saltem staneum haberent et particulas corporali involutas in ipso reponerent, et hoc quanto celerius fieri posset, particulas ipsas saepius renovaret, pro oleis etiam stanea vasa et non cuprea haberet et ipsa in ecclesia et non domi retineret, ad extremam unctionem saepius parochianos hortaretur, et pro ipsa nihil acciperet, nec etiam oblatum, ut ipsi magis alllicerentur ad ipsam suscipiendam. Purificatoriis uterentur in missa, nec in diebus dominicis mortuorum missam canerent, sed, si vellen, submissa voce legerent aut potius in sequentem diem transferrent. Librum matrimoniorum et baptizatorum haberent et in administrandis sacramentis omnem reverentiam et in adhortandis populis diligenter adhiberent.

11. Visitation der Pfarrkirche von Waging. 1569 März 6.

Aus Arm. LXIV. Tom XI. Nr. 158.

Die mercurii 16. mensis martii 1569.

Visitatio ecclesiae parochialis S. Martini de Vaghem dioc. Salcemburgensis et etiam domini temporalis eiusdem R^{mi} archiepiscopi.

Ecclesia satis bona et mediocriter ornata habet quinque altaria cum maiori, omnia, ut dicunt, consecrata et singula tribus tobaleis cooperta. A dextera parte altaris maioris est armariolum super columnam et crate ferrea circumsaepum, porta ferrea clausum, cuius claves tenet parochus, in quo est S^{sum} sacramentum in vase cupreo deaurato, a foris cooperto panno sericeo et intus pixis parvula argentea, in qua sunt particulae sex vel septem satis recentes, sed non involuti corporali.

In eodem armariolo sunt olea sancta in tribus vasis cupreis simul iunctis. Fons est ab altera parte ecclesiae lapideus tabula coopertus non pyramidali, in quo parum aquae erat, quam sumunt (ut dicunt) baptizandum, cum¹⁾ temporibus hiemis domi ut plurimum baptizant.

Sacrarium parvum sine altari et sine lavacro, habet quinque vel sex indumenta satis bona et quinque calices argenteos deauratos cum patenis et corporalibus, sed sine purificatoriis, quibus non utuntur.

¹⁾ Or. cui — baptizant.

Parochus est satis instructus, bene novit formam absolutionis, dicunt omnes confiteri particulariter delicta, et communicant omnes sub una.

Sunt ad duo milia communicantes, nec ulla est suspitio haeresis in dicto loco. Et ipse parochus concionatur singulis diebus festivis.

Oleum infirmorum petunt pene omnes et quotannis accedunt ad civitatem, ut confirmentur, qui non sunt confirmati.

Librum baptizatorum nec confirmatorum nec matrimoniorum habet, sed publicat matrimonia, antequam contrahantur, tribus diebus festivis iuxta consuetudinem.

Olea petit singulis annis ab archiepiscopatu et vetera comburit et fontem benedicit in sabbatis sancto et pentecostes iuxta morem.

Missam legit alta voce, scilicet ea, quae secundum usum Romanum dici solet alta voce.

Utitur agenda Saltzepurgensi in administrandis sacramentis.

Parochus vocatur Volfangus de Vaserburgh et iam per octo annos curam exercet et habet duos presbyteros coadiutores, quos alit, et pro salario dat unicuique 15 florenos in anno, qui postea etiam aliquid colligunt tempore messis ab hominibus loci; alit etiam magistrum quendam puerorum et dat ei salarium 30 florenorum in anno ultra ea, quae colligit ab hominibus loci. Hic docet pueros litteras et cantum iis, qui volunt discere, et cantat etiam in ecclesia, sed pauci sunt pueri, qui litteras et cantum discant, sed tantum volunt legere et scribere germanice, unde ecclesia parum aut nihil ab ipsis iuvatur.

Ipse parochus¹⁾ non est beneficii patronus, sed est quidam camerarius archiepiscopi, qui vocatur Andreas Chencher presbiter, et ipse est vicarius et solvit praedicto Andreae 60 florenos singulo²⁾ anno et exigit introitus beneficii, qui ut plurimum sunt in decimis, postet esse ipse vicarius annorum 45 in circa.

Sacramenti particulas mutant singulis mensibus.

Crucem nullam habent argenteam.

Illius dominus post vitae et morum admonitionem ipsum admonuit, ut sacramentum quod servat in pixide corporali involutum teneat, ut purificatoriis in missa dicendo utatur, vasa stanea et non cuprea teneat pro oleis conservandis. Non baptizet aliquos domi nisi in casu necessitatis, sed potius in sacrario vel in ecclesia prunis appositis, si frigus timent. Ut libros tenet baptizatorum et matrimoniorum, hortetur populares, ut filios hortentur³⁾, ut

¹⁾ Or. parochuss.

²⁾ Or. singolo.

³⁾ Or. hortantur.

patiantur eos literas et cantum adiscere et ecclesiam deservire, quod poterit ipsis esse proficuum, et omnes populares suos in catholica fide detineat, nec aberrare permittat.

12. Visitation des Klosters Baumburg. 1569 März 18.

Aus Arm. LXIV. Tom. XI. Nr. 159.

Die veneris decima octava mensis martii 1569.

Visitatio ecclesiae S. Margaritae de Pamburgh Salisburgensis dioc. ord. can. regul. S. Augustin. in dominio ducis Bavariae.¹⁾

Ecclesia satis mediocris et habet altaria undecim cum maiore et chorum cum sedilibus satis aptum.

Habet curam animarum illius pagi de Pamburgh, qui est ad radicem collis, super quem est monasterium.

In dextera altaris maioris est armariolum lapideum parieti iunctum super columnam positum cum cancellis ferreis, qui clave aperiuntur, in quo positum est *Smum* sacramentum in vase argenteo satis pulchro intus et foris deaurato et in ipso pixis quaedam papiracea intus et foris serico munita, in qua erant plurimae particulae satis recentes, sed non involutae corporali. Claves armarioli habet decanus vel parochus, qui curam exercet.

Post altare maius est quoddam armariolum in ipso altari clausum, cuius idem claves tenet, in quo sunt olea in tribus vasis cupreis simul iunctis, dicunt ea petere quotannis in ecclesia Salisburgensi et vetera ardere.

In altari maiori dicunt esse plures reliquias et tecis argenteis conservatas, sed apud praepositum esse claves, qui nunc est in concilio provinciali in Salisburgo.

Similiter dicunt plures habere calices et cruces argenteas et indumenta pretiosa, sed claves sacristiae, in qua sunt, esse apud dictum praepositum.

Sunt in monasterio quattuor sacerdotes et unus iuvenis.

Habent in cura communicantes ad mille et omnes communicant sub una, oleum petunt infirmorum, nec est aliqua haeresis suspicio in ipsis.

Habent ultra istam alias quinque parochias, duas vicinas, quas per canonicos monasterii administrant, aliam distantem per unum miliare, in qua stat canonicus curam exercens, aliae duae in Austria, in quibus duo canonici a monasterio missi persistunt.

Missas et officia celebrant secundum morem sui ordinis, nec utuntur purificatorijs. Fontem baptismalem habent, quem ter in anno benedicunt, sed in hieme aqua ex ipso sumpta baptizant in domo²⁾ vel in hipocausto propter frigus.

¹⁾ in dominio ducis Bavariae nachgetragen.

²⁾ Or. doma.

Decanus est satis instructus, caret oculo sinistro, bene novit formam absolutionis et alia ad sacramenta spectantia et habet dispensationem apostolicam dicendi missam et alia sacramenta exercendi.

Libros matrimoniorum, confirmatorum et baptizatorum non tenent, licet matrimonia publicent tribus diebus continuis.

Magistrum habent, qui docet pueros literas et cantum, qui pueri in ecclesia deserviunt et sunt numero viginti, quorum decem aluntur in monasterio, et ipse etiam magister alitur in monasterio et habet stipendium in monasterio.

Altaria tribus tobaleis cohopta sunt, cum celebrant.

Monasterium habent satis amplum et elegans.

Illius dominus legatus post vitae et morum admonitionem admonuit etiam, quod non tot particulas sacramenti servarent, ne corrumperentur, saepius mutarent et corporali involuta tenerent in pixide. Ut vasis cupreis non uterentur ad tenenda olea, sed argenteis vel staneis, purificatoriis uterentur ad abluendos calices, librum tenerent matrimoniorum et baptizatorum iuxta formam concilii, non baptizarent extra ecclesiam nisi in casibus necessitatis.

Der heilige Bernward von Hildesheim, als Bischof, Künstler und Sohn des hl. Benedict.

Von Bernhard Sievers, Caplan in Ringelheim.

(Schluss zu Heft III. 1893. S. 398—420.)

4. Die Kunstthätigkeit des hl. Bernward.

„Muss der Künstler ein Mann sein, in dem sich Herz und Verstand, Liebe und Begeisterung für die edleren Ziele der Menschheit harmonisch zusammenfinden, dann war Bernward von Haus aus ein geborener Künstler, und er musste sich unter den günstigen Verhältnissen, die sein Talent weckten und ihn zur Kunstpflege aufriefen, zu einer hervorragenden Erscheinung entwickeln.“¹⁾

In den Domwerkstätten zu Hildesheim hatte Bernward einst seine Lehrzeit durchgemacht, zu Mainz und am kaiserlichen Hofe war er zum Meister herangereift; als er nun im Frühling 993 nach Hildesheim zurückgekehrt war, führte er das Kunsthandwerk daselbst bald zu solcher Blüte, dass die kleine sächsische Bischofsstadt für die nächste Zeit eine der einflussreichsten Kulturstätten Norddeutschlands wurde.

¹⁾ Beissel, Die Kunstthätigkeit des hl. Bernward von Hildesheim. Stimmen aus Maria Laach. Jahrg. 1885. S. 135 f.